



The Holy See

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

CAMETANENSIS* IN BRASILIA NOVA CONDITUR DIOECESIS CAMETANENSIS Sinentibus rerum adiunctis et condicionibus, Sancta Sedes foveat emolumentum catholicarum per orbem communitatum. Cum ergo praelatura territorialis Cametanensis per divinam gratiam recentioribus his temporibus numero christifidelium operibusque religiosis ac civilibus haud parum incrementum ceperit, Venerabilis Frater Iesus Maria Cizaurre Berdonces, O.A.R., Episcopus Praelatus eiusdem dictionis, audita Conferentia Nationali Episcoporum Brasiliensium, nuper postulavit ab Apostolica Sede ut Ecclesia haec praelaticia ad gradum et dignitatem dioecesis eveneretur. Quamobrem Nos, praehabito favorabili voto Venerabilis Fratris Ioannis d'Aniello, Archiepiscopi titulo Paestumensis et in Brasilia Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis, huiusmodi inceptum, animarum saluti profuturum, excipiendum iudicavimus. Idcirco de plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis praelaturam territorialem Cametanensem evenerimus ad gradum dioecesis, eodem servato nomine ac territorio. Huius novae dioecesis sedem in urbe statuimus in qua hucusque praelature sedes exstitit eiusque templum ad gradum dignitatemque ecclesiae Cathedralis evenerimus, congruis iuribus et privilegiis concessis. Novam dioecesanam communitatem suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Belemensis de Pará eiusque Episcopum pro tempore subdimus metropolitico iuri Archiepiscopi illius Ecclesiae Metropolitanae. Cetera ad normam iuris canonici expediantur. Novae dioecesis Cametanensis Ordinarius et Pastor confirmatur, peritus in eius populo regendo, Venerabilis Frater Iesus Maria Cizaurre Berdonces, O.A.R., hactenus Episcopus Praelatus eiusdem dictionis. Ad haec omnia perficienda destinamus Venerabilem Fratrem Ioannem d'Aniello, Archiepiscopum titulo Paestumensem et in Brasilia Apostolicum Nuntium, omnes necessarias et oportunas ei tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo dicitur quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere iniuncto ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus eiusdem peractae executionis remittendi. Hanc denique Constitutionem nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet minime obsistentibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Februarii, anno Domini bis millesimo tertio decimo, Pontificatus Nostri octavo.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Di Felice, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. CV (2013), n. 3, p. 248-249.

© Copyright 2013 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana